



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Tertius, Sive Exempla Divinae Irae, Per Opera Poenitentiae, Nobis
Leniendae - Per Quadragesimam Anno M. DC. XLVIII. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 9. Nullus debet se innocentem putare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48194](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48194)

omnium sceleratissimus, ac Deo hominibusq; inuisus, annos LXV natus
decessit. Atque hoc pacto in illo & fratre eius Alberico, filijsque
eius miserrime deartuatis extincta est tota familia à Romano.

His intellectis, quid jam iudicatis, Auditores? an his fratri-
bus iniuria facta est? An non hi tyranni hæc, & maiora merue-
runt supplicia? An non ipsi quodammodo Deum docuerunt pu-
niendi seueritatem? Si enim homines tam grauitè scruunt in se
inuicem; & quidem in innocentes, an non & supremus ille iudex
in tam nocentes debet irasci? Quod ipse commonuit dicens: *In*
quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fue-
ritis, remeietur vobis. Neque turbare quemquam debet, quod fi-
lij sex Alberici, itemque vxor & filia duæ, quæ innocentes vide-
bantur, vnà cum facinoroso patre, tam immiti exemplo per-
missæ sint cruciari & contrucidari. Nam in primis etiam victores
in ea cade atque vindicta excedere, & grauitè peccare potue-
runt; neque tenetur Deus peccata hominum, contra communem
cursum naturæ, impedire, ne ipsidem adimat agendi, hoc est, pœ-
nas aut præmia promerendi libertatem. Sufficit si vniciuique dat
gratiam sufficientem, qua, si velit, possit pœnas æternas vitare,
atque præmia promereri. Deinde quis scit, an fuerint innocentes?
quàm enim difficile est vxorem marito, & filios parenti non con-
sentire, aut facta illius non approbare, potentiam non optare, &
quocumque tandem modo promouere? Et esto aliqui (vt sæpe fit)
fuerint innocentes ac talibus malis per se non digni, tamen sine
iniuria à Numine illata, propter coniunctionem vitæ & habitati-
onis, communi malo inuoluebantur. *Sicut enim in corpore natu-*
rali membrum quodlibet est particeps commodorum & incommodorum
ipsius corporis; ita in corpore politico quodlibet membrum, etiam si casus
sam cum alijs non dedederit, communis prosperitatis & calamitatis est
consors. Neq; aliter iuxta ordinariam rerum legem fieri potest ob com-
morationem inistorum cum iniquis, quibus sunt permixti, & in quorum
medio degunt. Itaq; respectu talium, illa afflictio non tam est pœna, qua
sorum peccata vindicantur, quam exercitatio virtutis & patientia ad
maiores gloriam.

Nemo tamen facile in animũ inducat, se talem afflictionem non esse
conmeritum; hoc enim est quod Dominus grauitè in S. Iob reprehendit,

VIII.

QVAM IVSTE
A DEO HIS SVB
CALAMITAS
FVERIT PER-
MISSA?

Matth. 7. 2.

Leonard Less
lib. 13 de per-
fectionib. diu
cap. 12.

IX.

NVLLVS DEBE
SE INNOCEN-
qui TEM PVTA
RE

qui tantam se calamitatem non commetuisse contendebat. Nemo enim animi sui statum, utrum amore an odio dignus sit, plene nouit: nemo peccatorum pondera, & mensuras, quantumque poenarum respondeat singulis, cognoscit. Delicta, inquit Propheta, quis intelligit? ab occultis meis munda me. Quamuis enim Deus hanc calamitatem non immittat tibi ad peccatorum vindictam, sed ad patientie probationem; non tamen hinc efficitur, te illam non esse promeritum, aut Deum non potuisse illam iuste pro peccatis irrogare, nam etiam quadam venialia ad hoc sufficiunt. Si enim post hanc vitam nonnulla venialia grauissimis, & diuturnis purgatorij ignis supplicijs iuste puniuntur, cur non in hac vita quibusuis calamitatibus, qua poenis purgatorij longe sunt minores, vindicari possint? Hac dici possunt ijs, qui se innocentes putant, atque immerentes pati. Quamquam ea nunc viuimus tempora, in quibus tantam malorum labem, tantaque quotidie videmus flagitia cumulari: qua si velis accuratè considerare, per singula, si quidem accuratè id fieri queat, numquam poteris à lachrymis temperare. Sic enim omnia confusa, sic sunt cuncta resoluta, ut ne vestigium quidè virtutis vsquam videas: nequitia verò & luxuria repleta esse cuncta perspicias: & quod est infelicis, perurgentium nos malorum iam nec ipsi sensum sapimus, nec alys prabemus, nec alios monemus: sed sumus velut corpus extrinsecus quidem florens ac vegetum, intrinsecus verò tabe pessimi languoris absumptum. Et contigit nobis, quod illis solet, qui vel phrenesi patiuntur, vel mente capti sunt, à quibus cum multa turpia & perridicula vel dicantur, vel etiam gerantur, nec pudoris tamè aliquid, nec poenitudinis capiunt: quin immo & magnifici sibi, ac sapientiores sanis videntur, ac sapientibus. Ita ergo & nos, cum omnia, qua sanitati contraria sunt geramus, ne hoc ipsum quidem, quòd deest nobis sanitas, nouimus. At enim si fortè in corpore parum aliquid morbi pulsauerit, statim & medicos adhibemus, & pecunias profundimus, & omni obseruantia quod competit, gerimus: nec prius abssimus, quam, qua molesta sunt, mitigentur. Anima verò cum quotidie vulneretur, cum per singula lanietur corporis affectionibus, ac vitijs, vratur, precipitetur, & modis omnibus pereat, ne parua quidem pro ea nos cura sollicitat. Sed horum omnium causa illa est, quòd omnes pariter hic morbus obtinuit: & tamquam si accidat multis sub vno morbo languentibus, presto esse venenem sanum, certum est, quòd omnes pariter corrumpat, & absumat.

S. Chryf. I. de contit. cordia. c. 2.

mat incuria, dum nemo est, qui vel opportuna praebeat, vel importuna prohibeat: ita & nobis, dum nemo sanus est, sed omnes languemus, alij maiore, alij minore ex parte, nemo est, qui curet: omnes enim indigent cura. Icilinum haeresis, ambitio, odium, immanitas ad exitium adduxit. O quam late nunc ista omnia dominantur! quanta odia, vindictae, imprecationes, insidiae, proditioes gliscunt! quae luxuriae infania, quanta intemperantia viget? quanta rerum sacrarum incuria? quanta vel obliuio, vel ignorantia eorum, quae ad salutem animae pertinent? quantus contemptus Ecclesiasticorum, & spiritualium medicorum? quanta nausea admonitionum? ut non tantum haeresin, sed atheismum homines passim profiteri videantur.

Et Deus non irascatur? Deus non exurgat? Immo omnes Angeli in caelo, qui alioqui humanum genus tueri amant; omnes Sancti, qui alioqui solent esse miserorum patroni; tanta contempta mortalium superbia atque impietate, diuino zelo accensi, clamant: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, a facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant.* Et diligenter aduertant hic, qui, peccato vno commisso, tam facile cetera adiungunt, & putant perinde esse 100. ac 1000. scelera confiteri, vna opera, & aequè paucis verbis omnia fieri. Non est ita. Sicut enim quidam parentes, etsi non statim filios suos, ob quouis delicta, puniunt; sed in sublimi pariete, quò liberi oculos, non autem manus ad delendum mittere possunt, singula annotant ad metum illis incutiendum, donec ad certum, qui ipsis placet, numerum perueniant: ita Deus, qui omnia in mensura, & numero, *Sap. 11. 12.* & pondere disposuit, regnis, & prouincijs, & urbibus, & ipsis etiam hominibus certam mensuram, numerum, & pondus constituit, ad quae si perueniant, adest etiam cum communi flagello, ut eos plectat, aut etiam omnino extirpet: quia meruerunt, & diuturna impunitate peccandi licentia in immensum augetur, atque ad alios etiam exemplum serperet, ac praecipue etiam ut alij istorum poena moniti respiciant. Hinc non est mirum, si Albericus & Icilinus tam diu permissi sunt grassari, donec cum tota familia extinguerentur. Tota vita Icilini fuit LXV. annorum, quam breue tempus? Et Italorum, vsq; dum Eremita eos interituros mone-

X.

DE MENSURA
PECCATIS
CONSTITUTA

Psal. 67. 2.

Sap. 11. 12.